

in communi est, quod per illud deputetur aliquis aliquid sacrum, seu ad cultum Dei, quia ut S. Thomas dicit 1-2, quæst. cii, art. v: « Sacramenta proprie sunt ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. » Et quæst. ci, art. iv dicit: « Quod ex parte colentium duo possunt considerari, scilicet eorum institutio ad cultum divinum, quod sit per quamdam consecrationem, vel populi, vel ministrorum: et ad hoc pertinent sacramenta. » Cum ergo sacramenta debeant esse quædam externæ protestationes religionis, oportet quod per illa habeat quis hujusmodi consecrationem seu deputationem, sicut etiam per sacramentum militare deputatur quis ad militiam, ut S. Thomas notavit circa causalitatem veterum sacramentorum in iv, distinct. i, quæst. i, articulo quinto.

LXVIII. Cæterum deputatio hæc et consecratio, non fit per aliquam formam inhærentem, et intrinsecus dominantem: ideoque neque exigit causam realem quæ ad illam terminetur: nec debet respectu hujus sacramentum dici realis causa, sicut neque ei qui ad officium aliquod deputatur per juramentum, aut aliam cæremoniam, dicitur cæremonia illa conferre consecrationem aut deputationem, sed esse signum, quo fit talis deputatio, sicut quando investitur episcopus per anulum, canonicus per librum; hoc enim non excedit rationem signi, ut docet S. Thomas, quæst. lxi, art. ii. explicans D. Bernardum qui dicit: « Quod sicut investitur canonicus per librum, etc. sic divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis, » ut inquit sanctus doctor: « Quod iste modus non transcendit rationem signi; et sic liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus; et

secundum hoc sacramenta novæ legis non essent plusquam signa gratiæ. » Igitur secundum D. Thomam cæremonia deputans et consecrans ad aliquam religionem, non excedit rationem signi, et sic sacramentum ex eo quod sit protestatio externa, et deputatio ad aliquam religionem, non est causa, sed signum consecrationis et deputationis illius.

LXIX. Relicta ergo sanctitate ista impropria, quæ est deputatio ad aliquod ministerium, seu consecratio, restat videre an saltem sit de ratione sacramenti conferre sanctitatem, vel veram, vel legalem. Dicitur autem legalis sanctitas, emundatio carnis, id est, ab aliqua irregularitate seu impedimento, quod a lege apponebatur, quo stante non erat quis idoneus accedere ad sacra, et ad cultum divinum. Sanctitas autem vera consistit in emundatione a peccato, perfecta quidem in emundatione a peccato mortali per infusionem gratiæ, imperfecta autem a veniali sine gratiæ infusione, uti fit per aquam benedictam. Cum autem sacramentum sit quid sacrum et religiosum, et usus ejus religiosus et virtuosus, non repugnat ex hac parte esse causam sanctitatis: eo modo opus meritorium est causa gratiæ aut augmenti ejus, sed hoc non est de ratione sacramenti ut sacramentum est, et in genere sacramenti, sed ut opus religiosum est, et a charitate impetratur.

LXX. Sumendo autem sacramentum secundum esse et rationem sacramenti, et in proprio genere, non secundum rationem operis meritorii, dicimus non esse de ratione sacramenti conferre aliquam sanctitatem, sive perfectam, sive imperfectam, sive legalem. Ratio est, quia de ratione sacramenti solum est ordo ad id per quod specificatur,

scilicet ad objectum quod significat: ergo omnis ordo qui non fuerit ad tale objectum, non erit ei essentialis, sed accidentalis. Objectum autem a quo specificatur sacramentum est significatum ejus, seu res sacra, et sanctitas occulta; ab illa enim denominatur: et sicut sanum urinæ et medicinæ non potest essentialiter respicere nisi sanum animalis, sic neque signum sacramentale nisi sanctitatem occultam. Ordo ergo qui non fuerit ad sanctitatem occultam, non erit essentialis et per se in sacramento, quod est signum denominatum a sanctitate occulta. Cum autem certum sit, quod de ratione sacramenti in communi non est respicere sanctitatem occultam per modum causæ, ut patet in sacramentis veteribus, quæ fuerunt vera sacramenta, et respicere aliquid quod non sit sanctitas occulta (scilicet sanctitatem legalem) sit extra rationem sacramenti specificam et essentialem, fit ut esse causam cujuscumque sanctitatis, sive perfectæ, sive legalis, non sit de ratione sacramenti.

LXXI. Præterea causare sanctitatem imperfectam et remissionem venialium invenitur in sacramentalibus, nec postulat aut constituit rationem sacramenti; minus causare emundationem legalem, sicut modo dispensatio ab irregularitate aut a censuris, quæ est quædam emundatio legalis, ut sic dicam, non exigit nec constituit rationem sacramenti: ergo causare sanctitatem legalem non est de ratione sacramenti, nec similiter causare sanctitatem perfectam, ut probatum est. Nec causare unam aut alteram disjunctive est de ratione sacramenti, cum utraque ratio præsupponat constitutam essentiam sacramenti. Etenim causare sanctitatem occultam pertinet ad aliud genus sacramenti, seu ad aliud analogatum hu-

jus nominis sacramentum, scilicet, ad id quod se habet ut causa sanctitatis occultæ; et ideo illi analogato, quod se habet ut signum talis sanctitatis, non convenit essentialiter, cum sit alterius generis; causare autem non sanctitatem occultam, sed sanctitatem legalem est extra omnia genera sacramenti, quæ dicunt habitudinem et analogiam ad sanctitatem occultam: ergo utrumque causare accidentaliter advenit rationi sacramenti, de qua in præsentem tractamus.

LXXII. Adde etiam quod sanctitas legalis proprie non causatur, quia non est quid reale; sed sicut traditio canonicatus non fit per libri exhibitionem, tamquam per causam, sed tamquam per signum, sic neque sublatio irregularitatis, vel emundatio ab impedimento aliquo carnali, non fit per cæremoniam sacramentalem, tamquam per causam, sed tamquam per signum, quo ostenditur et reputatur ut mundus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LXXIII. Sed objicies primo ex Suarez: Nam omnia sacramenta, quæ hactenus instituta sunt, habuerunt causare aut veram sanctitatem, aut legalem; ergo de ratione sacramenti, eo modo quo institutum est a Deo, est causare aliquam sanctitatem. Antecedens patet inductive, nam omnia sacramenta novæ legis causant gratiam perfectam, omnia antiquæ legis causabant legalem; circumcisio etiam veram: sacramentum legis naturæ pro parvulis causavit veram sanctitatem: ergo nullum fuit quod non causaret aliquam.

LXXIV. Confirmatur, nam essentia et ratio sacramentorum non potest a nobis aliunde cognosci, quam ex institutione Dei, secundum quod de

facto posita est, non secundum id quod de potentia absoluta poterat; institutio autem sacramentorum, ut de facto posita est, semper habet annexam aliquam causalitatem sanctitatis, saltem imperfectæ; ergo aliquid causare est de ratione sacramenti, ut de facto instituti.

LXXV. Respondetur primo ad antecedens negando inductionem illam sufficientem esse, nam probabilius est in lege naturæ non solum fuisse sacramenta in expiationem peccati originalis, sed etiam in expiationem actualium, quod adhibere deberent, qui peccabant cum contritione vera; et illud non conferebat sanctitatem veram, quia operabatur ratione contritionis; neque legalem, cum non esset tunc lex, quæ varias illas irregularitates induxerat. Secundo, ad consequentiam respondetur, quod ut aliqua inductio probet aliquid esse de ratione alicujus, non sufficit probare quod omnibus competat; sed taliter illis, quod non aliis. Emundatio autem ab istis legalibus potest competere et sacramentalibus nostris, et sacrificiis antiquis; nam modo per absolutionem in solo interiori tollitur censura, per aquam benedictam veniale, et per sacrificia antiqua, quæ offerebantur pro peccato, expiabantur quis; et per baptismata varia mundabatur quis ab immunditia aliqua legali. Quapropter si hoc inveniebatur in aliquibus antiquis sacramentis, id non erat ex essentia ipsa, et vi rationis sacramentalis, sed per accidens, in quantum erant quædam sacramentalia pro materiali, quæ ad id deserviebant. Non ergo ex inductione illa colligitur esse de ratione sacramenti, sed competere sacramentis sive accidentaliter, sive non accidentaliter.

LXXVI. Ad confirmationem respondetur, quod institutio sacramen-

torum, sicut de facto posita est, ex essentia sua solum habet respicere sanctitatem occultam ut signum; quod autem habeat causare, sive hanc ipsam sanctitatem, quam significat, sive aliam, ex essentia sua non habet; nec id fit per institutionem sacramenti, secundum quod respicit essentiam sacramenti constituere, sed prout respicit accidentale quid in illo, scilicet, id quod adjungitur cæremoniis sacramentalibus ex institutione divina. Per se enim solum postulant sacramenta ad constitutionem suam habere significationem a divina institutione; at vero quod cæremoniæ ipsæ sint institutæ etiam a Deo ad aliquid causandum, extra rationem, seu institutionem constitutivam sacramenti est.

LXXVII. Sicut enim in lege naturæ determinabantur cæremoniæ a republica, et significatio sacramentalis a Deo, ut infra dicitur, et ita institutio circa cæremonias non est de essentia sacramenti, quod a Deo sit, ita quidquid tali cæremonia provenit præter significationem, a Deo præter rationem sacramenti est; et sic quod causet sacramentum ratione sui materialis, seu cæremoniæ adjunctæ, licet ex institutione Dei habeatur, non tamen ex institutione ut tribuente essentiam, quæ in significatione consistit, sed ut dante aliquid accidentale.

LXXVIII. Secundo objicies: De ratione sacramenti est quod sit cæremonia ordinata ad cultum Dei, et non ad cultum Deo exhibendum, sicut sacrificia, sed ad disponendos cultores Dei, ut constat ex S. Thoma 1-2, quæst. cx, art. iv; ergo de ratione sacramenti est ut aliquam dispositionem conferat cultoribus; hoc autem aliqua sanctificatio est, saltem imperfecta: ergo de ratione sacramenti est quod illam conferat.

LXXIX. Confirmatur, quia sicut

vestimentum dicitur, quo vestimur et ornamentum, quo ornatur, ita sacramentum dicitur, quo sacramur; et a sacrando dicitur sacramentum: ergo ratione sacramenti est quod per illud sacramur, et sic conferatur nobis aliquid sacrum.

LXXX. Respondetur, quod sacramentum est cæremonia ordinata ad cultores Dei disponendos et sacrandos, in quantum est protestatio quædam externa religionis, qua quis initiatur per sacramenta: ad hoc autem non requiritur quod causet aliquid. Nam quantum ad sanctitatem occultam talis religionis sufficit quod significet illam, et non requiritur quod causet. Quantum vero ad initiationem, seu deputationem ad talem religionem aut ministerium ejus, non requiritur causalitas, sed significatio, ut supra ostendimus.

LXXXI. Item secundo dicitur, quod sicut est de ratione sacrificii quod ordinetur ad cultum Dei per modum signi externi, et non per modum alicujus causalitatis, sic de ratione sacramenti est quod ordinetur ad cultores Dei per modum signi sanctitatis eorum, non per modum causæ. Quod vero alterius sanctitatis sit causa, quæ non est dispositio cultorum Dei, per accidens est et extra rationem significationis sacramentalis, quæ est forma essentialis sacramenti. Ex vi enim talis formæ non requiritur quod sit causa, sola autem hæc forma essentialis et sacramentalis est constituens sacramentum.

LXXXII. Ad confirmationem dicitur, quod sacramentum non dicitur a sacrando active, sicut medicamentum, sed a sacrando formaliter vel finaliter, id est, a sanctitate occulta, ut dicit hic S. Thomas ad primum, et ita non sequitur quod debeat esse causa, sed sufficit quod sit signum, quia id quod determinatur a

causa informante, non denominatur per modum causæ.

LXXXII.² Tertio objicitur: Nam de ratione sacramenti est quod sit signum practicum: ergo quod sit non solum repræsentativum, sed etiam causativum. De ratione etiam practici est, quod sit operativum; si ergo sacramentum est signum practicum, sacramentum est signum operativum. Cum autem essentialiter non sit operativum gratiæ perfectæ, debet esse operativum vel gratiæ, vel saltem sanctitatis legalis.

LXXXIII. Respondetur, quod modo sacramentum sit signum practicum, infra latius dicitur. Nunc respondemus, non consistere rationem signi practici in eo quod sit operativum sui signati, sufficit quod sit signum promissivum, seu quasi explicativum mentis practiciæ, respectu significati, ut judicetur esse practicum, nam sacramenta vetera respectu sui significati, quod est gratia, non erant operativa secundum rationem sacramenti, et tamen erant signa practica secundum rationem sacramenti; non ergo requiritur ad rationem signi practici quod sit causativum sui signati. Quod vero sit causativum alterius quam signati, impertinens et per accidens est respectu essentiæ sacramenti quæ sumitur respectu sui significati; nec constituitur in ratione practici signi per hoc, quod sit operativum non sui significati, sed alterius. Quare ad rationem signi practici sufficit, quod significet suum significatum ut in exercitio dandum, non per causalitatem ipsius signi, sed per causalitatem alterius causæ, significatam tamen per hoc signum, quia sufficit ad rationem signi significare causationem, non vero requiritur quod causet significatum, hoc est, sufficit significare rem non in ordine ad præsentandum præcise, seu ut re-

præsentabilis est præcise, sed ut causatur et datur, sicut infra melius dicitur.

LXXXIV. Deinde dicitur, quod ut sit signum practicum, sufficit quod repræsentet rem ut datur ratione usus, seu exercitii ipsius, non autem ex vi et causalitate ipsius sacramenti. Et ideo non requiritur quod sacramentum causet aliquo modo, sed quod in exercitio ejus detur, ab alia tamen causa, et ex vi alterius causalitatis.

LXXXV. Quarto objicies: Nam de ratione sacramenti est, ut saltem sit causa moralis sanctificationis; sed causa moralis est vera et propria causa: ergo de ratione sacramenti est causare aliquam sanctificationem, saltem ut moralis causa. Antecedens est certum, quia de ratione sacramenti est ut per ejus usum aliquis mereri possit, et saltem ex opere operantis acquirere sanctificationem: ergo de ratione ejus est ut sit saltem causa moralis sanctificationis.

LXXXVI. Confirmatur, nam si de ratione sacramenti non est aliquam conferre sanctitatem, saltem imperitam, non est aliqua ratio cur transitus maris Rubri et manna, et illa verba Christi: *Remittuntur tibi peccata, etc.* excludantur a ratione sacramenti, si quidem hæc omnia significabant gratiam ut dandam in genere causæ finalis aut formalis, et non solum speculative significabant rem sacram, ut erat sacramentum in se. Quod autem non essent cæremoniæ stabiles, hoc materialiter et per accidens se habet ad rationem sacramenti: ergo non ex parte essentialis rationis sacramenti (scilicet significationis) excludantur.

LXXXVII. Respondetur, quod sacramento convenit esse causa moralis, non ex ratione sacramenti, sed ex ratione virtutis et intentionis cui

subditur. Si enim religiose et debite fiat aut suscipiatur, meretur; secus vero si irreligiose et indebite. Hoc autem non est sacramentum ipsum esse causam, sed debitum ejus usum, non prout usus est sacramenti, sed prout debitus ac religiosus, et a charitate imperatus. Hinc est quod apud S. Thomam quæst. LXIII infra ponitur character in specie potentiæ, et non habitus, quia per illum non determinatur quis ad bene, vel male agendum, sed ad agendum, vel suscipiendum simpliciter sacramenta. Igitur aliud est in sacramento essentia, aliud quod bene vel male fiat, et consequenter tamquam causa moralis concurrat ad sanctificationem aliquam.

LXXXVIII. Ad confirmationem respondetur, illa numerata in argumento excludi a ratione sacramenti; tum ex parte ejus quod necessario et per se ex parte materiæ præsupponitur a sacramento, scilicet, quod sit cæremonia et ritus in aliqua religione, ut constat ex S. Thoma 1-2, quæst. CI, art. IV, ubi cæremonias dividit in sacramenta, sacrificia, etc. Debet autem talis cæremonia ita esse permanens, sicut religio cuius cæremonia est; tum etiam, ex parte formalis rationis, quia non habuerunt significationem sacramentalem, id est, practicam gratiæ, quia significabant illam tamquam figuræ quædam, et speculativa signa, non ut ad opus adhibita, et ideo neque in exercitio eorum dabatur gratia ratione significationis eorum.

LXXXIX. Nec obstat, quod significabant gratiam ut dandam, nam significabant ly dandam, veluti objective, non ut rationem formalem, seu conditionem necessariam suæ significationis. Gratiam autem dandam, speculative significari posse, certum est, quia pro objecto repræsentationis habetur gratia danda, et

non gratia præcise; sed tunc gratia ut danda pertinet ad signum practicum, quando ly danda, est conditio, aut ratio ipsius significationis, quia scilicet significat secundum ordinem et applicationem ad dandam et præbendam gratiam, ut sequenti dubio explicabitur.

XC. Quinto objicies: Si de essentia sacramenti solum est significare gratiam, et habere rationem signi, et omne quod est causare accidentale ipsi est, sequitur quod sacramenta novæ et veteris legis essentialiter sint ejusdem perfectionis, quod est absurdum. Et sequela patet, quia in ratione signi non possunt excedi sacramenta veteris legis a nostris, sed solum exceduntur in causando, ut constat ex differentia, quam sancti communiter ponunt: ergo non est solum de ratione sacramenti significare, nec in eo præcise potest consistere ejus essentia.

XCI. Confirmatur: Omne sacramentum est institutum ad conferendam sanctificationem non ponentibus obicem, taliter quod in ejus exercitio gratia conferatur, alias non haberemus unde distingueretur signum hoc a signis speculativis ejusdem gratiæ: ergo principaliter sacramentum est institutum ad causandam gratiam, quam ad significandam. Patet consequentia; tum, quia per hoc distinguitur a signis non sacramentalibus, quia efficit, seu est causa ejus, quod significat; tum, quia res debet denominari ab eo, quod principaliter est; cum autem causare sit principaliter quam significare, oportet quod ab illo denominetur sacramentum.

XCII. Respondetur negando sequelam et dicimus, quod sacramenta veteris et novæ legis, etiam in ratione signi sacramentalis differunt; significat enim sacramenta novæ legis expressius, efficacius et salu-

brius; et sic in latitudine signi sacramentalis practici longe excellentiora sunt nostra; magis enim conjuncta sunt cum suo significato. Et præterea dicitur, quod licet sacramenta nostra haberent causare essentialiter, non tamen inde sequitur, quod de ratione sacramenti in communi esset causare, sive gratiam, quæ est significatum ejus, sive aliquam aliam sanctitatem imperfectam, quia hoc causare competit specialissime sacramentis novæ legis, non autem ex ratione communi sacramenti.

XCIII. Ad confirmationem respondetur, quod sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem, non potest verificari de omnibus sacramentis, etiam antiquæ legis, quia collatio gratiæ non erat in illis sacramentis ex vi ipsorum sacramentorum, sed ex vi dispositionis operantium. Unde non exigebant solum pro dispositione non ponere obicem, sed positive contritionem et actum charitatis habere. Conferre autem gratiam ex vi dispositionis et operis operantis, non est illam sacramentaliter conferre et causare, sed meritorie; et ex subordinatione ad religiosum et debitum usum, non ex vi sacramenti. Nos autem hic solum negamus sacramentum in communi esse sacramentaliter causam.

XCIV. Quod autem dicitur distinguere per hoc a signis speculativis, quia efficit quod significat, negatur hoc, quia signum speculativum et practicum differunt fine, quia scilicet speculativum intendit solum repræsentare signatum, practicum autem componere et conjungere illud cum subjecto, sive id fiat per causalitatem ipsius signi, sive per causalitatem alterius; significatam tamen a signo illo, et habente se illo signo ut explicans mentem illius, qui causat secundum quod causat, ut mox explicabitur.

XCV. Sexto arguitur: De ratione sacramenti est ut non solum sit signum, sed etiam medicina salutaris: ergo de ratione ejus est quod sit causativum, et non solum significativum. Consequentia patet, quia medicina dicit genus causæ efficientis ad sanitatem, ut S. Thomas dicit solutione ad primum. Antecedens probatur: Ideo in statu innocentiae non essent sacramenta, quia non indigerent medicina, ut dicit S. Thomas in IV, distinct. I, quæst. I, art. II, quæst. II.

XCVII. Respondetur sacramentum esse medicinam sacramentali modo, et ideo significative; non autem necessarium est etiam quod effective, ex parte ipsius signi, sed sufficit quod ratione operis operantis habeat effectum aliquem.

DUBIUM QUINTUM.

AN SACRAMENTUM UT SIC SIT SIGNUM PRACTICUM GRATIÆ.

Conclusio est affirmativa.

XCVIII. Constat ex S. Thoma art. II, solutione ad primum ubi dicit: «Creaturas sensibiliter significare aliquid sacrum, ut bonitatem et sapientiam Dei, in quantum sunt in se ipsis sacra, non autem in quantum nos per ea sanctificamur; et ideo non possunt dici sacramenta.» Et eadem ratione solutione ad secundum excludit quædam signa veteris testamenti a ratione sacramenti.

XCIX. Ut autem explicetur conclusio notandum est, quod signum practicum dicitur illud, quod derivatur et descendit ab intellectu practico. Intellectus enim cognitionem et conceptus suos per signa a se derivata explicat: sed sicut est duplex intellectus, scilicet practicus et spe-

culativus, sic est duplex signum ab utroque intellectu derivatum, scilicet practicum et speculativum. Et sicut intellectus ut sit practicus non debet extrahi a latitudine intellectus, sed intra limites intellectus habet rationem practici, sic ut signum sit practicum non indiget extrahi a latitudine signi, et induere rationem causæ, sed intra genus signi habet rationem practici, in quantum scilicet derivatur ab intellectu practico. Intellectus autem practicus et speculativus in hoc differunt, ut dicit S. Thomas VI ethicorum, sect. II, quod bonum intellectus speculativi, est verum absolute; bonum autem intellectus practici non est verum absolute, sed ut concorditer et conformiter se habet ad finem rectum, seu ad opus quod intendit. Unde mensura veritatis speculativæ est res ut est in se, quia ex eo quod res est vel non est, intellectus est verus vel falsus; mensura autem veritatis practicæ non est res ut est in se, sed ut concordat cum fine intento et recto.

C. Ex quo fit, quod intellectus practicus, quando respicit objectum exterius, non respiciat illud ad acquirendam cognitionem, sed ad hoc ut res ad finem aliquem intentum dirigatur, aut perducatur. Et sic respicit rem non resolvendo et abstrahendo ab ipsa cognitionem, sed potius componendo illam cum aliquo, secundum quod intendit aliquem finem, ad quem perducere intendit aliquid; et sic respectu illius finis compositivo modo procedit. Et hinc est quod intellectus practicus præsupponit actum voluntatis, quia non dicit conditionem duram, sed directivam cum intentione finis; et supponendo intentionem finis dirigit ad illum. Quod S. Thomas explicavit loco citato dicens: «Quod finis est homini a natura: ea autem quæ sunt ad finem, non sunt nobis de-

terminata a natura, sed per rationem.» Et sic rectitudo appetitus per respectum ad finem, est mensura veritatis in ratione practica.

CI. Supponendo ergo appetitum circa aliquem finem procedit intellectus practicus, dirigendo ad illum finem, sive ille finis sit ipsa factio rei, sive donatio aut collatio, sive quævis alia compositio. Ab hoc ergo intellectu derivatum signum dicitur practicum, quia per illud non intendit intellectus manifestare præcise rem, sed manifestando perficere exterius intentionem et directionem intellectus practici; et ita in contractibus videmus, quod signa per deficientia contractum habent vim ab intellectu practico perficiendi ipsum, et perducendi ac dirigendi ad finem exteriori modo id quod intendit intellectus. Contingit autem quod intellectus intendat non solum rem perducere ad finem, sed etiam de novo producere in esse; et tunc etiam instrumentis ipsis communicat virtutem ut artificiose rem ipsam perficiant.

CII. Itaque intellectus practicus exterioribus his præbet vim perducendi ad finem intentum, vel producendi in esse rem, quam intendit; et sicut intellectus speculativus signis, quæ ab ipso derivantur, est causa manifestandi, et dat illis vim et rationem manifestativi; sic intellectus practicus signis quæ ab ipso procedunt, dat vim dirigendi et perducendi in finem, et instrumentis vim producendi in esse secundum artem. Et ideo dicuntur signa practica, quia licet manifestent, non tamen sistunt, neque pro fine habent manifestare, sed ad intentum finem perducere et exterius dirigere; sicut intellectus practicus, licet habeat cognoscere, non tamen cognitionem habet pro fine, sed per cognitionem dirigere et perducere ad finem. Quod ergo intellectus practicus habet in-

tra, signum practicum habet extra, scilicet, non habere pro fine manifestare, licet manifestativum sit; sed ad finem exterius perducere et dirigere, et ideo modo compositivo procedere. Quod autem ipsum signum ultro hoc sit causa rei in suo esse, et perducat illam sive physice, sive moraliter, est extra rationem signi practici, et competet ei ex aliquo extrinseco; sed de ratione ejus solum est, quod eo modo quo intellectus practicus intendit finem aliquem et illum respicit interius, sic signum practicum illum respiciat exterius.

CIII. Sic ergo sacramentum essentialiter habet esse signum practicum, quia essentialiter habet institui a Deo, non ut pure nobis repræsentet rem sacram, sicut imago aut figura aliqua, sed ut ad sanctificationem nostram ordinetur, et nos per susceptionem sacramentorum initiemur et sacremur, et sanctificationem nostram assequamur: ergo in illis signis non intendit institutor eorum solam repræsentationem, sed utentium sanctificationem et consecrationem: ergo non habent illa signa pro fine cognitionem, et sic non sunt speculativa; sed habent pro fine opus (id est, consecrationem et sanctificationem nostram) et sic sunt signa practica.

CIV. Ex quibus colligitur contra magistrum Cano, non est necessarium ut sacramenta sint signa practica, quod efficiant physice quod significant; alias sola nostra sacramenta essent signa practica; sed sufficit quod taliter sint signa, quod non habeant pro fine cognitionem, sed ulterius ad aliquem finem ordinentur; sicut id sufficit ad intellectum practicum, quamvis talis intellectus non sit physice effectivus rei, sed solum directivus.